




S. VIII. 33.

Nuptiarum honoribus

Clariſsimi & Conſultiſsimi viri,

DN:

AMBROSII

HILDEBRANDI, I. V. D. Celeberrimi, & Aulici Dicaſterij, quod Sedini Pomeranorum eſt, Advocati digniſsimi,

SPONSI,

Cum

Lectißimâ, pudicißimaq; Virgine,

ANNA MARGARITA

Clarißimi, Amplißimi, nec non Conſultißimi Viri

DN. IACOBI TRETERI. I. V. D.

Eminentiſsimi, Illuſtris itidem Dicaſterij Sedinenſis Advocati famigeratiſsimi, ejusdem Reip. Syndici vigilantiſsimi FILIA,

SPONSA.

hiſce Litârunt.

STETINI, Typis Kelnerianis. ANNO. CIↃ. IↃ. CXIX.
Eidibus Septemb.



Domino Sponſo, viro Eruditione & virtute præſtantiſsimo ἐπ' εὐγαμίᾳ διαπαντὸς χαίρειν.

NIl poterit gravius, poterit nil triſtius eſſe,
ingenuo Mulier quàm Mala nupta viro.
Haud aliter niveis ſociantur Oloribus Harpæ:
haùd aliter Damã ſqualidus Urſꝰ amat.
Mordax haùd aliter Vino miſcetur Acetum:
Nectareo haùd aliter putris Amurca Favo.
Omnes eſt Homines ærumnoſiſsimus inter,
Cum tali monſtro quem ſua Fata ligant.
Hunc Franciſcanæ delumbem Cortis Alumnum,
Aut potius Cybeles eſſe decebat Avem.
Nàm byſſo & gemmis, oſtro decoretur & auro,
Beſtia quantumvis; Beſtia ſemper erit.
Nil poterit melius, poterit nil dulcius eſſe,
ingenuo Mulier quàm Bona juncta viro.
Haùd aliter molles ſociantur Vitibus Ulmi:
Haud aliter Rutam turgida Ficus amat.
Aſſyrio haud aliter miſcentur Balſama Coſto:
Svavibus haud aliter Lilia blanda Roſis.
Omnes eſt homines fortunatiſſimus inter,
Talem cui ſociam Fata benigna jugant.
Hic neqùe coccineum Romæ geſtare galerum;
Summi nec mallet Præſulis eſſe loco.
Ex Animo urentes igitur, Sponſe, eijce Curas.
Optata felix ſorte maritus eris.

Nym

Nymphe, quam gaudes Paranympho ducere Christo,
Ingenio ingenuis moribus apta tuo est.
Sunt celebres ejus multa virtute Parentes:
Non autem procul à stipite Poma cadunt.
Ergò cum tali socialia fœdera junge:
Cum tali sospes Compare vive diu.
Gratia sic mentes conjungat mutua vestras,
Improba in EIrenem ne dominetur Eris.
Quæ turbans Odijs & Rixis omnia, gestit
Sæva movere foris prælia; sæva domi.
Quæ nec Templa Dei, Regum nec præterit Aulas:
Quæ complet damnis Oppida; complet Agros.

Ludovicus Hollonius, Theologus & Poeta.

II.

CLARE VIR, augustæ Themidos studiose sacerdos,
Arteq; multijugâ nobile nomen habens:
Te sponsum meritò metri mea Musa celebrat,
Laude, manu feriens plectripotente chelyn.
Ecquid enim meliùs nunc temporis inchoet? urbi
Læticiam nostræ quô dedit almus hymen.
Mensq; Tua exsultat Sponsæ prædulcis Amore;
Sponsaq; Te verô rursus Amore colit.
Euge vir excellens, ad sidera suspice cœli:
Nam venit inde Tibi connubialis Amor.
Nec minùs omnis honos, urbem quô splendidus ornas,
Res est è cœli missa patente domô.
Gaude, *Sponse*, tuâ, clarissime, sorte beatâ!
Gaude, *Sponsa*, tuâ Tuquoque sorte bonâ:
Mens mea vobiscum communia gaudia tractat,
Ac Charites plausum Pieridesque cient.
Intonat his & Apollo preces & vota, Jehovæ
Templa quibus pulsent, & bona cuncta rogent.

Christe veni, nexûs qui conjugialis es Auſpex,
Inclita ad hæc Thalami gaudia, *Christe*, veni.
Hi Tibi ſunt Sponſi jam pridem fœdere juncti:
Hi ſpectant legis dogmata ſancta tuæ.
Hi ſpe convertunt ad Te ſua lumina firmâ,
Ponunt inq; tuâ remq; domumq; manu.
Elige præ multis Hos, jmmò & dilige Chriſte;
Amplifica hos Sponſos ſalvificaq; novos.

M. Martinus Bambamius P., Cæſ. & Scholæ Stetinenſis Senat. ConR.

III.

PRimis ab ævi floribus, arduas
Cum per palæſtras te Clarius ſuas
Sudore perfundi decoro
Viderit, atq; labore frangi.
DOCTOR; quid ergò ad Cyprigenæ levem
Tactum labaſcis? Cur etiam facem
Imbellis haud ſuffers Amoris
Solus? at ANNULA MARGARITA
Faces Amoris, dixeris, impotens
Snfferre, totum me mihi ſurripit:
Me pulchrior vincit, capitq;
ANNULA me, pretioſa GEMMA.
Utrumq; veſtrum ſat parili modo
Concordat aſtrum: ſat bene mutuis
Uruntur illibata flammis
Pectora. Non Erycina veſtri eſt Amo-

Amoris auctor; provida ſed DEI
Vis: efferæ qui fræna libidini
Injecit: & verenda lecti
Fœdera conſtituit jugalis.
Hoc Pronubo iſthæc fœdera cum tuâ
Iam Sponſe Sponsâ contrahe: proſperum,
Vitæq; longioris uſum,
Poſce pijs pia fata votis.

Debitæ congratulationis ergo fiebat
ab
Antonio VValtero, Scholæ Sed. Sen. SubRectore.

IV.

IAm gratulatione,
Iamq; invocatione
Dei eſt, opusq; votis
Libethridum piis.
Venêre namq; feſta
tandem, expetita feſta,
diu cupita feſta,
cum gaudio ſacro;
Queîs jungitur perito,
Sponſq; perpolito
deſiderata, grata,
amata Sponſula.
Ergo Trias verenda,
& Unitas timenda,
ſemper piè vehenda
ad aſtra lucida.

Novis adeſto cœptis,
novis adeſto ſponſis,
conſtante corda amoris
conjunge vinculo.
Des læta nuptiarum,
jucunda des novarum,
præſentium, piarum,
& grata gaudia.
Aganippidos fluentis,
ſtrepitu levi cadentis,
nitidas aquas vehentis,
adeſte virgines.
Parnaſsiæ ſorores,
Pindi jugis amores,
& Mænali favores
adeſte carmine.

Iocosque fingitote,
Sponsosq; pingitote,
doctumque clangitote
melisma versuum.
Nam Iurium colendo,
interpreti Hiltebrando,
multis modis amando,
dignoque laudibus,
Iam debito pudore,
& aureo colore,
& candido lepore,
Venit Treteria;
Ocellulis venusta,
virtutibusque onusta,
amoris igne adusta,
virgo Treteria.
Charites venite apertæ,
& gratiâ refertæ,
& hospitum favore
& multitudine.
Age nobilis virorum
corona Pommerana
frequens adesto, vana
non sit petitio.
Corusca doctiorum
corolla nunc virorum,
concivium optimorum
adsis frequentior.
Nec turba fæminarum
tædis honestiorum
abeste, sed frequentes
ornate nuptias,

Huc junior caterva,
seu gaudeas Minerva,
nepote sive Atlantis,
ornato nuptias.
Vos melleæ puellæ,
vos musteæ puellæ,
vos lacteæ puellæ,
ornate nuptias.
Nam bella Margarita,
& Margarita bella,
puella mollicella,
virgo tenellula
Sponso datur venusto,
virtutibusque onusto,
amoris igne adusto,
Venerisque flammulâ.
Adesto large Prome,
Adesto læte Come,
adesto grate Bacche,
ornate nuptias.
Nunc Musici venite,
cum buccinis venite,
cum barbitis venite,
raucisq; tympanis.
Plectrum movete ritè,
netas ciete scitè,
& verticilla doctè
testudinis cavæ.
Carmen tubâ sonorum,
melos lyrâ canorum
date, fistulis amorum
fidibusque chromata.

Hinc virgines amicæ,
& fœminæ pudicæ,
juvenum cohors decora,
virûmque surgite.
Manui manum applicate,
manu manum tenete,
agiles pedes movete,
chorosque ducite.
Saltate, sed lubenter,
saltate, sed decenter,
saltate consequenter
ad Musicæ modos.

Tùm sponse lasse saltu,
tùm sponsa lassa saltu
quiete membra dulci
recreate languida.
Sic nuptiale festum
inter Lubentiasque
inter Faventiasque
finire pergite.
Tandem diu vigete,
sobolem piam videte:
His pauculis valete
Anacreonticis.

V. I. B.

ARA & ARRHA.
Amoris, Favoris
Sponsis oculissimis,
Corculis mellitissimis,
AMBROSIO. MARGARETÆ.

HUc ô Sponse veni Decus venustum
Musarum, Charitum micans corona.
Huc adsis; tua Sponsa adest, tuum Cor,
Ceu Regina Gnidi, Paphiq; fulget
Tende huc, pasce oculos; Viden ? videt te.
Olim cœca dies tibi hanc videndam
concessit, mage nunc favet tibi sors,
dum tandem hæc oculata vult amandam
Sponsam, quam stabili ratoque jungit
vinclo; quam sociam cupit tibi esse.
Hæc sola est tuus JGNIS, atque splendor.
Si frigus premit, alsiumque Cor est,
accede huc age, plus satis calesces.
Sin in corde gravis cremabit ignis,
accede huc age, tollit ignis ignem
non raro, capiesque sic medelam.

Hæc

Hæceſt UMBRA tua; Ergo ſi medullam
Exeſt flamma tuam cito pede fuc badizes
Audin'? Mulſa refert tua hæcce Mulſa,
Sermonem loquitur venuſtulumque
Et blandum, lepidumque vinnulumque
Gaudes? Hic tua lux, tuusque ocellus:
Lux eſt hæc te oculando, te oſculando
Ergo bella labella morſicatim
Iungas, & ſuperes eam oſculando.
Tandem Sponſa veni, Venus venuſta,
Sponſum nonne vides? ut ardet, urit.
Nam ſic nomen ei bene Hiltebrandt eſt.
velox & celer eſt te amando Sponſam.
Hunc quo vexit Amor; Viden' maritum?
Infandum horripilat, gemit, tremitq;,
Ærumnatus is, & deartuatus
Quem tantum macerat puella blanda
Quem tantum lacerat cupido dirus.
Caſte te perit, & petit puellam,
Sævâ non rabie furit nec urit;
Muſæi pathicisſimos libellos
Qui certant ſybariticis libellis;
Et tinctas ſale pruriente chartas
Non legit, pius ardor angit illum.
Advorſnm it tibi patricè ac amicè,
Eccillum, propera, oſculis ſaluta.
Ornatum reſpicis? quem & obſtupeſcis:
Non veſtem redama, ſed id quod intus,
Fartum veſtis ama, favore, amore.
Sic Sponſe es Sponſæ; Demũ ſic ſponſa maritus.

Tu

Tu ſperatus ei, ſed ea eſt ſperata marito.
Non patruæ dabit ille tibi mala verbera linguæ.
Nec tu ullas capies, quæ dos uxoria, lites.
Margaris illa tibi eſt, medio de pectore pendens,
Quæ cor confortat, cordi hanc affigere diſcas.
Sis Sponſæ Ambroſius, roſeusq;, roſeta puellæ
Dulcia amant, cupiunt nō felle, aſt melle fruiſci.
Tandem ſpiretis benè, conſpiretis amice,
Speretis bona cuncta, ſimulq; ex conjuge prolē.
Spes una eſt, quā poſcit amās, quæ paſcit amātes.
Spes una eſt, quā paſcit amor, quæ poſcit amorē.
Specula nec vos confundet, ſed talia vobis
Polulus Ambroſius referet dulciſsima dicta:
Chale patel plecol ole, & tu chaliſsima matel
Ut melcele mihi puelo pluna aulea palvo,
Et palvum liblum, quo poſsim diſcele glamma.
Det DEUS eveniant, quæ vobis voce precatus.

confecta & erecta lubente animo ludente calamo
à
Simone Urſino. P.P.

VI.
SPONSUS
Excellentiſsimus & præſtantiſsimus
Dn. D. AMBROSIUS HILTEBRANDUS ἀναγραμματισθεὶς columbam ſuam compellat.

DA, AMBUSTVS LIBEROR HISN'?
DA mea flamma mihi, nunc tandem hac luce favillis
Cypridos AMBUSTUS, LIBEROR HISNe malis?

SPONSA

Venuſtiſsima ANNA MARGARITA TREDERIA
ἀναγραμματισθεῖσα Nympho ſuo reciproce
annuit verſo n. in r.

ARTE IN RARA: ARDE RIGATAM.
Sic ARTE IN RARA, me ſaltem ARDEto RIGATAM
muneribus Veneris, tibi ſic tibi ſtingue ſitim.

ERgo, ceu cerno, didiciſtis aptè
invicem veſtris medicare duris
ſarcinas tollendo graves rotantis
omnia Fortis.
Caſibus miſsisq́; ita commodare,
ut ferat promptum auxilium decenti
alteri curâ alterius juvare
prodiga dextra.
O mihi Sponſi quater ore verè
ſole præſenti tereti beati
judicandi & conſimiles quoq́; ipſo
judice Phœbo,
Omine ô fauſto benè copulandum
par, velut condigna (faterier ſic
addecet) ſponſa eſt generoſa ſponſo
Sponſus & ipsâ

Talibus

Talibus grato ordine fructuosâ
virginum donis, celeram Dianam
crinibus, malis roseis sequenti
oreq; suavi.
Fallor, an servaverit alta cœli
hos amores conveniente pacto
sic pares vestros rata cura summi
tempora ad hæcce,
Ne quis insanus furor excitatus
dissecans technis Acidaliæ illos
matris ad formas aliorum acutè
tendere posset.
Si licet verum memorare, apertus
ora sic pronus fateor, nec ipsa
fata concedunt aliud profari
cardoq; rerum.
Non fidem cortina dedit rogata
arctiorem, quàm sine lance Dîvûm
non tibi contingere Margaritam hanc
Sponse venustam,
Nam velis perpendere, quæso, saltem
An quid huîc Nymphæ fuerit negatum
quod vel ad famam, decus, aut nitorem
pertinet amplum
Quod vel est proclive parare amorem
seu juvat venarier emicantem

in

in genis formam facilem procos pro-
trudere densos.
Seu genus spectes, vel amica avaris
dona Pactoli peregrinâ arenâ
lecta formosi, aut nitidas catenas
colla manentes
Alba, seu obryzo, rutilantibus seu
Conditas multa arte fabri lapillis,
aut caput circa tenerum corollam, aut
Sindone vestes
Fabricatas, aut parijs nitentes
Purius splendoribus, illinita aut
gratiâ rarâ teneræ puellæ
mellea verba.
Hoc Dei censura potentis illi
Omne sacravit, nihil ut deesse
Argus offendat face centuplâ per
Tempora vinctus.
Integrum vitæ, scelerisq; purum
poßidet patrem Themidos ministrum
tam fidelem, curia palmam ut illi
vendicet uni,
Cujus ingentes celebrabit ora
hæc diu laudes populosa tandem
perditis sannis, teritur ferax dum
bacca trapetis.

Non

Non minor ſplendor genetricem adauget,
Quippe quæ virtutibus anteire
certat edoctis aliis in ipſa hac
matribus urbe,
Quæ malis inviſa pias loquelas
ambit exercens, ſubolemq́; gnara
Commodi vitæ ſtudet eſſe caſtæ
ſemper amicam.
Maxime aſt gnatam ſtuduit ſui unam
Teſſeram cordis pretioſiorem
eſſe, tempeſtiva viro quæ erat jam,
Ipſeq́ quæ flos.
Aſt quis jgnorat numerum procantûm
hujus urbis viſceribus vagantûm
ſplendidorum muneribus ſequeſtris
divite cornu.
Sed tamen nulli paruit ſecundus
ales hic, poſſet capere hanc columbam,
etſi equi miris etiam volantis
ſaltibus uſus,
Te & tui fraudare oculo virentis
ſeculi & canæ baculo ſenectæ;
Nam nimis pernix fuit ipſa fallens
curſibus omnes.
Cuî favet rectè genialis illa
ſors cupitam conſequitur labore

absq; duro & sic alios sua spe
privat amœnâ.

Sponse, per fata hæc tua comprobantur,
Doctor excellens benè paste in antris
Musicis sacras imitate voces
culmine Pindi.

Quæ lyra tracto metra nuptiali.
Tu indigus Nymphæ facilis morarumq;
orbus attingis tibi destinatam
munere IOVÆ.

Præpedit nil, diffugiunt morantes
grandines Fortis, tua spontè ventat
Sponsa te amplectens gemino lacerto
oscula libat.

Annulum in signum ex digito tenello
fœderis poscens malè pertinaci
detrahis: Sic non leviter tua hæc spes
prima fefellit.

Annuit commissa tibi venustè
prompta vesani removere spicla
ignis, imis vulneribus parare
dulce malagma.

Iamq; stipata est roseâ phalange
virginum procedere ad alma templi
limina & pompâ ceremoniali
nubere sanctè.

Euge, sic fas est studium & laborem
munerari, Sponse perite, durum,
[Dona namq; inter celebrata summum
Nympha putatur.]
Ito nunc magmenta Dei supino
intuens judex oculo cuiq;
pernegans sponsam tribui severo
cœlitus ausu.
Nunc datur planè fruier venusta
sponse quâ dignus meritis politis
sponsula, cordi mera quæ futura est
ipsa voluptas.
Et ratum solamen ubiq; rerum
Quàm diu tutus teretem metiris
Lucis hunc tractum, ut Libitina talis
æmula parcat.
Vrit an pectus rigidus cupido
evomens flammas creperas anhelum?
En tibi emplastrum rudis haud medendo
porriget ultro.
Ad libros solum laborare dulcem
jam satur quæris sociennem? ubi nam
certior quæso dabitur per omnis
climata terræ?
Vox silet; quis commoda tot Poeta
narret injustâ serie, licet sit

Flaccus, insigni aut celebris Maronis
polleat arte.

Vos beati Numine vos recentes
Conjuges læti capite hæc, boniq;
consulentes dona quibus bonus vos
ornat IOVA,

Gratias imis recitate fibris
illius summæ bonitati & altâ
pace jam læti recreate abundè
pectora vestra.

Sera contingat Pyliæ senectæ
secla Sponsus, Sponsa senis Sibyllæ
Fertiles latè videant loquentes
dulce nepotes.

Ioachimus Stamerus. Trep. Pom.

VII.

QVid juvat innumeros Musas coluisse per annos?
Quid tua castra sequi docta Minerva placet?
Quid juvat ad populos alio sub sole calentes
currere? terrarum cuncta videre loca?
Seu quâ concretum glacie terit orbita marmor,
seu medio solis quâ micat axe dies?
Quid juvat in terris horrenda pericula rerum
Exantlasse? pati quid malaquæq; juvat?
Nî speres meliora. DEVS concedere finem
Nî velit, & fructus suppeditare studI.
Nî te grata quies, sine quâ durabile nil est,
Accipiat, patriæ nî vocitere redux.

Nî



9 21116 **Bibliotheca** 105 000
P.P. Camaldulensium in Bielany


Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393

S. VIII. 33

